



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. lobum & lobi imitatores martyres fieri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Ad hoc igitur nunc patientiæ amplissimum theatrum mihi adducendi sunt, quotquot vel in campis vulnerati, mutilati, truncati, attriti; vel domi suæ, aut in publico Valerudinario lectulis affixi; vel in pecorum stabulis in stramen abjecti, dolent, gemiscunt, lamentantur. lepra, canero, igne sacro, arthritide, ulcere pulmonum, renum dolore, asthma, febris hectica, marasmus, oculorum, dentium, narium, aurium, capitis malo, aut syncope, vel palpitatione cordis cruciantur. Hic, quasi in nudinis omnia prostant consideranda. Omnia hæc passus est Iob, vir simplex, & rectus, & timens DEVM. Quis se talem audeat profiteri? Si in viridi ligao hoc factum est, quid mirum, si fiat in arido? Et quidem nos justè patimur, Iob innocens fuit. Vnde à quibusdam doctis Theologis, ob inuictam patientiam, inter martyres numeratur. Aiunt enim, ad martyrium facis esse, vulnera lethalia accepisse, è quibus naturaliter mors sequeretur, nisi miraculum, aut alia quædam peculiaris ratio obstaret. Sicut etiam, ob Virginis Deiparæ Christo compatientis incredibiles dolores, ab Anselmo, Sophronio, Bernardo, Ildefonso, non solum martyr, sed plus quàm martyr prædicatur. Sanè, si, vt Chrysostomus dixit, *Patientia est, qua martyres facit*, quæ maior potuit esse, inter tot dolores, patientia? An non difficillimum est, in medijs tam multis & magnis tormentis, quæ ad impatientiam, ad iram, ad DEVM mundi rectorem blasphemandum impellunt, ita se continere, vt nihil indecorum, & inhonestum dicatur? *Hoc facit martyrem*, ait S. Chrysostomus. Qua de causa Iobum non solum martyrem appellat ibidem, sed etiam alibi ait, eum sexcentis martyribus grauiora esse passum, ac per omnia rerum genera eluctatum, per diuitias, per liberos, per corpus, per uxorem, per seruos, per amicos, per hostes, per famem, per insomnia, per foetorem, palmam obtinuisse. Et ad populum Antiochenum, Iobum non cum vno tantum martyre, sed cum infinitis audeat comparare. Quærat iam aliquis, cur Deus morbos esse permittat? Si per morbos martyres facit, immò, si, per morbos innocentum, nocentes docet morbum suum, tamquam medicinam, patienter tolerare.

Quid ergo per Iobum docet? 1. In vtraque fortuna mun-

Xy 3

VIII.

S. Chrysost. in Psal. 127.

Loc. cit.

Idem. hom. 12. in 2. ad Cor. 1.

Idem. hom. 25. ad pop. Antiochen.

IX.

di